





DE
L V A
VETERVM DEA PIACVLARI
PRAEFATVS

AD ORATIONEM
BENEFICIO
RICHTERIANO

DESTINATAM
OBSEQUIOSE INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN
RECTOR.

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

LXXVI.

Tempus, quod iam in fastis sacris recurrit, summa animi religione colendum, ubi memoria exquisitissimorum cruciatuum atque acerbissimae mortis restauratur, quam humani generis Sospitator divina virtute suslinuit, piaculum pro nobis factus, earum lustrationum meminisse nos iubet, quas homines profani olim eo consilio instituerunt, ut et crimina sua expiarent, et numina diuina placarent. De quo argumento dum strictim exponere meditor, summa dicendorum ad tria momenta referri posse videtur, quae tempus, modum, atque obiectum personale complectuntur.

De tempore igitur quaerentes, quo publica illa piacula vel lustrationes suscipiebantur, ex rerum gestarum annalibus intelligimus, homines profanos non solum ante, quam sacra facerent, hoc officium exsoluisse, sed etiam, periculis ingruentibus, aut calamitatibus publicis ingrauescentibus, eam religionem praestitisse. Quum enim preces essent faciendae,

- - ubi libatos irrorauere liquores
*Vestibus et capiti, flectunt vestigia sanctae
Ad delubra deae. a)*

Exempli loco VIRGILIUS Turnum adducit, ducem Rutulorum fortissimum, qui, caelesti voce admonitus,

- - - ad undam
*Processit, summoque hausit de gurgite lymphas,
Multa deos orans. b)*

PERSIVS autem Macrinum, hominem optimum atque integerrimum commendaturus, inter alia etiam hanc ob causam laudat, quod deos ea, qua decet, religione adoret, c)

*Haec sancte ut poscas, Tiberino in flumine mergis
Mane caput bis terue.*

Quanta animi religione Romani, tempestatis siccitate et annonae caritate premente, Deos placare studuerint, et quam anxie alio tempore, accepta clade, oraculum de diis expiandis consuluerint, LIVIVS copiose exponit. d) Eadem mente Massilienses, graui lue uexati, unum ciuium suorum, cui per urbis vias ducto omnis generis imprecationes imponebantur, ex loco praecipiti deiciebant, rati, deorum iram sedatum iri. e) Et quo maiorem terrorem Imperatoribus Antonino Philosopho atque Aureliano irruptio Marcomannorum incutiebat, eo diligentius uterque piacula circumspiciebat, quibus dii irati placarentur, quod

CAPIT.

a) Ovid. Metam. I. 371.
L. XXII, 56. et L. IV. 30.

b) Aen. IX, 22.

c) Sat. II, 15.

d) Hist.

e) Servius ad Virg. Aen. III, 75.

CAPITOLINVS f) et VOPISCVS g) commemorant. Quantumuis iusta enim viderentur, quae gerebant, bella, profuso tamen sanguine se commaculati et indignos reddi, credebant, qui ad deos vel sacra facienda accederent. Haec fecum meditans pius Aeneas, Troiam nunc relicturus, penates secum auferendos manibus contrectare non audebat, sed patri his verbis tradebat; h)

*Tu, genitor, cape sacra manu, patriisque penates
Me bello à tanto digressum et caede recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.*

Quaecunque igitur salua esse cupiebant, ea tanta religione, quanta solemnitate lustrabant atque expiabant. Ita exercitui tam ante quam post proelium faciebant, uti DIONYSIVS HALIC. narrat, i) Certis etiam temporibus curias lustrabant, virulum ex utero fordae bouis immolatae exsectum sacrificantes; quem morem OVIDIVS indicat: k)

*Forda ferens bos est, secundaque dicta ferendo:
Hinc etiam fetus nomen habere, putant.*

Porro colonias deducendas itemque classes mari committendas, victimis caesis, consecratas esse, exemplo Aeneae constat, deos his verbis compellantis: l)

*Di, quibus imperium pelagi, quorum aquora curro,
Vobis lactus ego hunc candentem in litore taurum
Constituiam ante aras voti reus, extaque salsos
Proiciam in fluctus, et vina liquentia fundam.*

Tubas etiam eo consilio lustrabant, ut et suorum militum animi excitarentur, et hostibus terror iniiceretur. Audiamus OVIDIVM testem: m)

*Summa dies è quinque tubas lustrare canoras
Admonet, et summae sacrificare deae.*

Imo armenta et rura, quo feraciora fierent, veteres lustrando et sacra faciendo expiasse, TIBVLLVS docet: n)

*Rus ego pastoremque meum lustrare quotannis
Et placidum sole spargere lacte Palem.*

Et quidem non unius generis erant, quae idonea homines gentiles existimabant ad crimina expianda et deos placandos. Non enim solum, quod iam vidimus, victimas mactabant, sed alia etiam adhibebant, quae ad purgandas et eluendas sordes adcommodata existimabantur. Inter alia sulphur et ignis eorum lustrationibus inferuiebant, quod PROPERTIVS indicat, canens: o)

Imperat

f) in Anton, Phil. c. XIII.

g) in Aurel. c. XVIII.

h) *Virg. Aen. II, 717.*

i) *Antiqu. Rom. L. VI p. 354. L. IX. p. 613.*

k) *Fast. IV, 630.*

l) *Virg. Aen.*

V. 235.

m) *Fast. III, 849.*

n) *L. I. El. I.*

o) *L. IV, El. IX.*

Imperat et lotas iterum mutare lacernas,

Terque meum tetigit sulphure et igne caput.

Omnium tamen maxime aquam ob suam natiuam simplicitatem ac puritatem idoneam ad lustrationes statuebant. Ita HOMERVS de Agamemnone verba faciens; p)

Λαας δ' Ατρεΐδης ἀπολυμαίνεσθαι αἰώγει,

Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς αἶλα λυμαίν' ἐβαλλον

Ἔρδον τ' Ἀπολλωνί τελευσσας ἑκατομβας. h. e. Atrides autem iussit populos lustrari: et hi lustrabantur, et in mare sordes abiiciebant, Apollinique perfectas hecatombas sacrificabant. Neque alia mente HESIODVS praecipit; q)

- ἐυξῆ ἰδαν εἰς καλά ρεεθρα,

Χειρας νηφαμενος πολυηρατω ὕδατι λευκω, h. e. orato, adspiciens pulcra fluuenta, et manus lauato aqua amoena et limpida. Neque THEOCRITVS morem improbat, r)

Θαλλω ἐπιβρανεεν ἐσεμμενον ἀβλαβες ὕδαρ, h. e. florido ramo adspargendi aquam. OVIDIVS autem licet haud nesciret, haec sacra à multis leuiter atque oscitanter ex mera consuetudine tractari, eamque ob causam ciues suos increparet;

Ab! nimium faciles, qui tristia crimina caedis

Fluminea tolli posse putatis aqua: s)

tantum tamen aberat, ut hunc morem damnaret, ut potius eum commendaret, religiosiori animo seruandum praecipiens: t)

- conuersus ad ortum

Dic quater, et vivo perlue rore manus.

Talem religionem Dido prae se ferebat, Barcen nutricem ea iubens, quae suam fororem facere vellet; u)

Dic, corpus properet fluuiali spargere lympha,

Et pecudes secum et monstrata piacula ducat.

Aeneas autem, ramum Proserpinae apud inferos consecraturus, his verbis à poeta commemoratur id officium praefluisse; w)

Occupat Aeneas aditum, corpusque recenti

Spargit aqua.

His praemissis, ad ipsa Numina, quae à lustrantibus innocari solebant, et nominatim ad LVAM, veterum deam piacularem, progredimur. Namque in diuersis calamitatibus ac periculis diuersa etiam Numina inuocata esse, ex veterum monumentis cognoscimus. Habebant deos AVERRUNCOS, quos precibus et sacrificiis colebant, pro malo auertendo, quod omen inausum et portentum in-

p) Iliad. A. 313.

t) Fast. IV, 771.

q) Op. et Dier. 736.

u) Virg. Aen. IV, 635.

r) Idyll. XXIV. 94.

w) Aen. VI, 635.

s) Fast. II, 45.

inauspicatum praefagire videbatur. Alio tempore deam ROBIGINEM, ne fegetes ac frumenta eo morbo, qui rubigo dicitur, corrumperentur, his verbis inuocabant: x)

Aspera Robigo, parcas Cerealibus herbis:

Nam locus est irae, Diua tremenda, tuae.

Parce, precor, scabraeque manus à messibus aufer,

Neue noce cultis: posse nocere, sat est.

Praeter haec numina PLVTO etiam atque PROSERPINA id praeflare putabantur, ut homines expiarentur, inprimis lue contagiosa aut bellis vexati. Vtrique enim Tarenti ara subterranea erat exstructa, in qua sacra illis fiebant. Et Plutoni quidem, qui ea de causa febrilis cognominabatur, y) tauri mactabantur, quod ex verbis HORATII patet, canentis:

Non, si tricenis, quotquot eunt dies,

Anice, places illacrymabilem,

Plutona tauris, etc. z)

Proserpinae autem vaccam, eamque nigri coloris, pro victima oblatam fuisse, ex verbis VIRGILII intelligimus: a)

ipsi atrī velleris agnam

Aeneas matri Eumenidum, magnaeque sorori

Ense ferit, sterilomque tibi, Proserpina, vaccam.

Neque VENVS CLVACINA ex horum numinum numero est proscribenda, de qua PLINIVS: b) *ita traditur, inquit, myrtea verbera Romanos Sabinosque, quum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos, eo loco, qui nunc signa Veneris Cluacinae habet. Cluere enim antiquis purgare dicebatur.*

Haec igitur inter numina dea, LVA adpellata, locum haud postremum occupat, quae à luendo seu expiando nomen sortita, lustrationibus tam publicis quam priuatis praefesse, et eam ob causam singulari cultu digna existimabatur. Et primus quidem omnium huius deae mentionem facit LIVIVS, princeps historiae Romanae, qui lacteam sili ubertatem iucundissima rerum varietate exaequat. Vbi enim is insignem illam victoriam narrat, qua Volcos Romani superarunt, consulis C. Plautii factum, veluti singulari memoria dignum, subiungit, quo arma et spolia hostium Lvae consecrauit. Haec sunt eius verba: c) *armorum magna vis cum inter caesa corpora hostium, tum in castris inuenta est. Ea LVAE MATRI dare se consul dixit.* Alio autem loco, ubi de Paulo Aemilio, Macedoniae nuper potito, exponit, inter alia praeclare ab eo gesta etiam haec refert: d) *omnis generis arma cumalata in aceruum ingentem cumalata, precatus Martem Mineruam LVAMOQE MATREM et ceteros deos, quibus spolia hostium dicare*
ius

x) Ovid Fast. IV. 911. sqq.

y) Serv. ad Virg. Georg. I. 43.

z) Lib II Od. 14.

a) Aen. VI, 249.

b) Hist. nat. XV, 29.

c) L. VIII, c. I.

d) L. XLV. 33.

ius fasque est, ipse imperator face subdita succendit, deinde circumstantes tribuni militum pro se quisque ignes coniecerunt. Quibus ex verbis haec tria momenta probantur, Luam fuisse deam; porro, inter matres deum referendam, et, consecratis hostium spoliis fuisse cultam.

Non quidem ignoro, MARCELLVM DONATVM, qui luculento commentario historiam Liuiam est persequutus, e) omni contentione id agere, vt vtriusque loci lectionem in suspicionem adducat, et LVAM in LVNAM transformet. Atenimvero, si illius argumenta ad iustum examen reuocamus; nulla nos vrgeri necessitate vel causa videmur, deam Luam expungendi. Primo loco quaerit: f) *unde noua haec dea excogitata?* Respondemus: ex eodem hominum profanorum ingenio Lua prodiit, cui cetera Numina gentilium originem debent, qui Paulo interprete, ff) *ἠλλαξαν τὴν θεῶν τὰ ἀφθαέρτε θεῶν ἐν ἐμειώματι εἰκόνας, gloriam immortalis dei in imagines conuerterunt.* Quum enim vel legeret vel audiret, Deum verum tam multis tanque grauibus legibus purgationem et expiationem perpetuam populo suo praecepisse, κοκοζηλία et prauo imitandi studio adducti, vt sacris suis dignitatem conciliarent, homines autem ad metum deorum permouerent, omnia sacrificia diis exosa pronuntiant, quae ab impuris offerrentur. Quam ob causam non solum sacrificios, sed animalia etiam sacrificanda itemque vasa et loca expiari, purgari ac lustrari iubebant, atque his lustrationibus, vt ratae essent, Deum Luam praeficiebant. Altera ratio, qua adductus Marcellus loco mouere Luam nititur, inde est petita, quod haec dea fere incognita sit atque obscura. Ita enim disputat: *quomodo Liuius pene incognitam deam specificè cum Marte et Minerua nominauerit, non video.* At nosse debebat commentator Liuianus, Luam eandem fuisse cum Rhea, Ope, Cybele ac Diana, g) Nam nominum multitudine singulare ipsorum numinum dignitatem commendati, viri dicti iampridem obseruarunt. h) Praeterea numina, quae vel incerta sunt vel ignota, negari nec possunt nec debent. Incerti nempe dii dicebantur, quorum vel certa origo demonstrari non poterat, vel quibus templa peculiaria non erant exstructa: i) ignoti autem adpellabantur, quorum nomina propria non innotuerant, et quibus tamen aras et sacra faciebant, quod MINVCIVS FELIX merito ridet. k) Quam facile autem foret, si locus et tempus permitterent, ex libris AVGVSTINI indicem haud exiguum conficere numinum, de quibus, praeter nudum nomen, nihil prorsus innotuit; tam temere isleageret, qui inficias ire ausit, ea reuera exstitisse. Eiusdem ponderis argumentum illud videtur, quod his verbis MARCELLVS complectitur; *auget difficultatem, quod Liuius epitheton Matris adiunxerit, quo nominis praecipuos magnosque deos antiquitas donauit.* Nam, si eadem Lua fuit

e) cuius Dilucidationes in Liuium Thesauro Critico inferuit Ian. Gruterus Tom. VI. f) l. c. p. 115. ff) Röm. I. 23. g) Gyrald. Hist. deor. Syntagm. XII. h) Menag. ad Laert. VII. p. 187. Spanhem. ad Callim. p. 129. Salden. Ot. Theol. p. 581. i) Augustin. de Civ. D. c. XII. k) in Oclav. VI. 4.

fuit vel cum Diana, vel cum Rhea, Ope et Cybele, quae singulari nomine Magna Mater adpellabatur, quis hanc dignitatis tesseram illi denegabit? Si vero Lunam pro Lua substituendam censet, quo testimonio comprobabit, Lunam matrem esse cognominatam? BANIERIVS certe, solertissimus mythologiae ruspator, qui integro capite de *matribus deum* exponit, l) et cl. SCHLEGELIVS, qui felicissimo successu Banierianas dilucidationes nona luce illustravit, m) de Luna matre silent. Ad extremum Marecellus suffragia auctorum desiderat, quaerens: *cur vero scriptores de Lua Dea ne verbum quidem fecerunt?* Vt igitur huic desiderio satisfiat, in angustia et temporis et librorum, qua haec loci laboramus, tres saltem viros, eosque classis haud postremae, testes huius rei fide dignissimos in medium adducamus. Primus esto A. GELLIVS, publicus litterarum censor et solertissimus antiquitatum inuestigator: qui ubi de comprecationibus exponit, quibus vsi sunt Romani, Luam deam primo loco ponit. En eius verba: n) *Compreccationes deum immortalium, quae ritu Romano fiunt, expositae sunt in libris sacerdotum, populi Romani, et in plerisque antiquis orationibus, in quibus scriptum est: LVAM SATVRNI, Salaciam Neptuni etc.* (sc. comprecamur.) Quis vero tam habetis est ingenii, quin ex his verbis intelligat, Luam non tantum diuinæ originis, sed diuino etiam cultu adfectam fuisse? Huic testem adiungo HADR. TVRNEBVM, virum in explicandis litteris elegantioribus cum paucis conferendum, qui licet de eo dubitet, vtrum Lua Saturni vxor fuerit, an filia? de eiusdem tamen diuinitate loquitur, tanquam certa atque explorata. Ita enim ille: o) *Luere inter cetera purgare est. Vnde et MATER LVA dea erat, quae luebat, h. e. purgabat, et cui ad lustrandam hostium caedem arma et spolia incendebantur.* Paucis autem interiectis, p) ubi ad locum ex LIVIO supra allegatum deuenit, eos grauiter increpat, qui Luam in Lunam conuertere tentant: *ego, inquit, istam Lunam capite foras praecipitem agendum puto, et in hos penates LVAM MATREM renocandam.* Accedat autem et tertius testis, IVL. CAES. SCALIGER, vir diuini atque excellentis ingenii, qui ita de virtute et nomine LVAE disputat: q) *Syraculis orta seditione, mutuis virinque cladibus, (narrant) exercitum occidionem ab iis, qui reliqui bello fuissent. Quare Dianae placandae consilium inritum, ad quam ciuitatis calamitatem tanquam auctorem referebant. Itaque agrestium frequentia deae templum donis auctumque, numineque et his et cantionibus pacato, initium factum amniuersariae festiuitatis; atque propterea Dianam LYAM cognominatam, contrario sane vsu, atque nos accipimus. Luem namque morbum dicimus, cuius vi corpora soluumur, (αίτιο τῆς λυαίδου) illi autem deam ita nuncuparunt propterea, quod intestinam discordiam suscipulisset. Alii hoc cognomen uti fatentur et attribuunt, ita rationem causamque aliam adsignant. Nempe, quum ante Hieronis regnum graui morbo insula Sicilia*

l) *Histoir. des Fabl. Vol. II, L. II, c. 12.* m) p. 760. sqq. n) *Noët. Art. L. XIII. Cap. XXI.*

o) *Adversar. L. XIX, c. XI.*

p) *l. c. L. XXIII, c. XXII.*

q) *Poetic. L. I, c. IV.*

Sicilia laboraret, ad auerruncandam numinis iram, ludos passim per agros institutos, in quos captandae liberioris aerae gratia se contulissent, Dianamque tum ea de causa LVAM, quod morbum luisset, adpellatam. Ex quibus adparet, Luam non tantum pro dea habitam, sed diuino etiam cultu in lustrationibus publicis ornatam fuisse.

Haec praefari visum fuit illi actui indicendo, quo beneficium scholae nostrae spectabile anniuersaria memoria pie et sancte est recolendum. Legato enim laudabili vir, dum viuebat, integer ac religiosus, IO. CHRIS- TOPH. RICHTERVS, alumni litterarum, qui nomen inter commilitones huius Gymnasii profitentur, et probitatem cum diligentia indiuulso nexu copulant, tam beneuole prospexit, vt hoc viatico instructi, studia academica, nulla interpellatione retracti, ex voto auspicari queant. Quae munificentia his temporibus calamitosis atque exulceratis eo maioris est facienda, quo plures sumtus in praesenti rei frumentariae inopia et deploranda annonae difficultate ad victum comparandum requiruntur. Et habent omnino Musae huius loci, quod sibi sui-que rationibus gratulentur, vbi vident et reuera experiuntur, AMPLISSIMVM ciuitatis nostrae SENATVM, et INSPECTORES rei scholasticae GRAVISSIMOS, patria in summas fere angustias adducta et in anceps discrimen vocata, nihil eorum subtrahere, quae ad necessitatem, ornamentum, atque vtilitatem antiquitus fuerunt destinata. Quam benefaciendi promptitudinem cum omnes, qui hac in palaestra litteras colunt, grato animo venerantur, et Patronorum perpetuam salutem DEO immortalis precando commendant, tum ille inprimis, qui hoc stipendio nunc est ornandus, iuuenis, probitatis, modestiae, atque industriae laude commendabilis

IO. FRIDER. PISTORIVS,

Freiberg. Misn.

hanc munificentiam publica oratione latini sermonis complectetur, qua *bellum ducentis abhinc annis inter Electorem Saxoniae, Mauritiū, atque Marchionem Brandenburgicum, Albrechtum, magna animorum contentione, neque minori patriae detrimento gestum, relictis omnibus ambagibus, exponet. Quo facto, et quum scholae, in qua discendi causa a puero versatus est, legitime valedixerit, condiscipulorum nomine*

Io. Frider. Helbig,

Tuttendorf. Misn.

carmine germanico, quo *illecebrae virtutis, delineantur, discessurum prosequetur, et auspicia academica gratulabitur fausta atque fortunata.*

Vos, qui litteris et earum cultoribus fauetis, MECAENATES ac PATRONI, neque puluerem scholasticum et phrontisterii umbram abhorretis, etiam cras, si DEVS fuerit, quod obsequiose rogamus, hora ante meridiem nona audita, haud grauatim accedetis, et tam animum propensum, quam vultum serenam atque aures vacuas adferetis. P. P. *Freiberg.*

d. XVII. Febr. MDCCLVII.

Yb 627

(1/80)

ULB Halle
002 103 591 3



TAJOL







76

DE
L V A
VETERVM DEA PIACVLARI
PRAEFATVS

AD ORATIONEM
BENEFICIO
R I C H T E R I A N O

DESTINATAM
OBSEQUIOSE INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN
RECTOR.

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

LXXVI.

